



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

§. 5. Formula Literarum directarum ad Confessarium ad absolvendum  
Clereci persussorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

§. 5.

*Formula Literarum directarum ad Confessarium ad absolvendum Clerici Percussorem, qui neq̄ ad Ordinarium suum, neque ad Urbem personaliter accedere potest.*

I. Leander &c. Discreto Viro Confessario &c. Pro parte Viri Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Clericum graviter vulneravit, propter quod excommunicationem incurrit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator de præmissis plurimum doleat, & tutum accessum pro absolutione desuper obtinenda, nec ad Urbem, nec ad Ordinarium habeat; Ideo ne in hujusmodi excommunicatione sordescere cogatur, cupit pro suæ conscientie quiete per Sedem Apostolicam absolvi. Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, postquam prædicto Clerico, si nondum satisfecerit, vel per eum non steterit, quo minus arbitrio tuo satisfaciat ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomolibet incurrit, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesie consueta, injuncta ei pro modo culpe pœnitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, in foro  
con.

conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter; Ita quod Lator in loco, ubi habetur pro publicè excommunicato, non habeat se pro absoluto, nullis super hoc Testibus adhibitis, aut Literis datis, aut processibus confectis, sed presentibus laceratis, quam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis. Datum &c.

2. Hic præcipuè observandæ sunt clausulæ. 1. Quod à Confessario veritas causæ non accedendi sit examinanda. 2. Satisfactio, pœnitentia, & obedientia sententiæ Ordinarii injungenda. 3. Injungendus accessus ad Urbem, ut primum poterit, sub pœna relapsus. 4. Monendus Pœnitens, ne in loco, ubi delictum notum est, gerat se pro publicè absoluto. 5. Absolutio tantum in foro conscientiæ suffragetur. 6. Literæ Confessario sub excommunicatione statim sint lacerandæ.

3. Forma absolutionis in hoc & similibus casibus est hujusmodi:

*Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego autoritate ipsius, & autoritate Apostolica mihi specialiter delegata absolvo te in primis ab excommunicationis sententiâ, quam incurristi ob manus violentas injectas in*

Clericum, & ab omni alio vinculo ex-  
communicationis, & interdicti, in  
quantum possum, & tu indiges.

§. 6.

De formulis absolutionum à Censuris,  
& simul dispensationum super irre-  
gularitate.

1. Notandum, quod quamvis S. Pœ-  
nitentiaria absolvat à Censuris in casi-  
bus publicis, non dispensat tamen su-  
per irregularitate cum secularibus, ni-  
si in casibus occultis; Ideo cum his di-  
spensatur semper cum clausula: *Dum-  
modo præmissa sint occulta.*

2. Irregularitas ex homicidio volun-  
tario est reservata S. Pœnitentiariæ.  
Super qua peti potest dispensatio vel à  
Laico, ut promoveri possit ad ordines,  
vel à Clerico ut ad ulteriores ordines  
promoveri possit aut eos quos habet  
exercere, vel à Sacerdote, ut in suis  
Ordinibus ministrare possit. Requiri-  
tur vero valde gravis causa, ut cum  
his dispensetur, præsertim cum primo  
& secundo, & si dispensetur ad dictos  
effectus, non ideo tamen dispensatio  
facta est ad Beneficia obtinenda, sed  
alia